



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Difficultas III. Impugnatur alius modus idem explicandi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

stantiam temporis, sed etiam quoad substantiam mortis. *Missis aliis disparitatibus*

RESPONDETUR. Disparitatem esse. Quia in Martyribus, utpote necessitate moriendi adstrictis, nulla alia laudabilitas potest cogitari, nisi anticipatio; quā posita, habetur in illis totum fundamentum laudabilitatis. Aliunde etiam, non tenemur, quā maximam laudabilitatem, & ejus fundamentum quærere, in morte Martyrum: quæ sine dubio esset major, si, cum possent nunquam mori, morerentur tamen pro Deo. Jam verò in Christo, qui poterat non teneri legibus moriendi, debet alia libertas, & alia laudabilitas moriendi inquiri, nempe ipsa substantia mortis; tenemurque, habito fundamento, quā maximam laudabilitatem morti Christi tribuere; adeoque tenemur sentire, mortem illam fuisse liberam, etiam quoad substantiam moriendi. Et certe verba illa Christi, (*Potestatem habeo animam meam ponendi, & potestatem habeo illam sumendi.* Item, *Nemo animam meam tollit à me.*) si simpliciter sumantur: ostendunt, ipsam vitam, hoc est oppositum substantiæ mortis, in potestate illius fuisse: quam potestatem, certè non tantum per respectum ad Deum, sed etiam per respectum ad homines, non habent martyres; nec habent martyres; nec hoc quisquam illorum, etiam per ordinem ad homines, dicere potest: per quod monstrant, non esse sibi liberam substantiam mortis; quia autem verbis illis usus est Christus, monstrat substantiam mortis fuisse sibi liberam.

Disparitas secunda afferri potest. Martyres ipsā substantia mortis meriti sunt, quia hæc mors quam oppetierunt, non potest dici moraliter eadem, cum ea, ad quam necessitati fuissent legē naturæ: jam autem si substantia mortis Christi est decreta, & præcepta, hæc ipsa quam oppetit mors, erat eadem quæ præcipiebatur.

Tertia disparitas est. Quia, cum homines, etiam si necessitentur ad mortem, non necessitentur ad acceptandam mortem; possitque aliquis nolle mori, quamvis debeat mori: hinc fit, ut casu quo mori velit, dicatur liberè mori. Jam autem, titulo præcepti, necesse erat, ut acceptaret Christus mortem; quia erat necesse ne peccaret, peccaret autem non acceptando præceptam mortem. Si autem erat necesse illum acceptare mortem, aliter se jam habebit Christus, quā martyres, in obeunda morte.

DIFFICULTAS III.

Impugnatur alius modus idem explicandi.

4. **E**XPLICATIO est Recentiorum, quā utitur Cabrera apud Amicum, & eam defendit Lugo totā Sect. 8. Hæc Explicatio salvat Christi libertatem, imprimis, quia non erat de-

terminatus ad certum instans mortis: deinde, pro quocumque instanti urgente, poterat dispensationem petere supra præceptum.

Quoad hanc partem, in quantum Lugo libertatem Christi salvat, quod non esset obligatus, pro hoc instanti, implere præceptum.

NON SATISFACIT hæc explicatio. Quia tota argumentatio Lugonis colligit consequentiam similem, ac si aliquis argueret; Hic calamus non est ad scribendum necessarius, & hic alius, & hic alius: Ergo nullus calamus est ad scribendum necessarius; hæc collectio consequentiæ est nulla: Ergo & illa prior. Sequela probatur. In hoc instanti, non erat Christus determinatus ad moriendum, neque in hoc secundo, neque in alio, & sic ulterius: Ergo in nullo fuit instanti obligatus. En illationem posteriori, priori similem; & si ostendatur melius colligi illationem, insolutum manebit, quod quæritur: nempe, quomodo liberè adhuc sit Christus mortuus?

RESPONDEBIS 1. Quod Christus fuerit liberè mortuus, quia non erat determinatus, ut hoc instanti determinato moreretur; intellige de antecedente instante, quod præcedit ultimum instans, decreta jam & determinata mortis.

CONTRA est. Ponamus, mortuum esse Christum illo instanti, quod est decreta illi mors, vel determinatus vitæ tractus; vel liberè moriebatur, vel non liberè? si non liberè: non respondes ad punctum. Si liberè: unde salvas libertatem, cum non supponatur anticipante instanti mortuus? Et ut ostendatur, non colligi rectè illationem, sic iteratò restauratur argumentum. Ultimum illud instans, vel est decretum, vel non est decretum? si non est decretum: ex eo non esset decretum; quia poterat satisfacere præcepto in instantibus antecedentibus illud ultimum: quæ responsio est similis illi. Hic ultimus calamus non est necessarius ad scribendum, quia sufficit penultimus; & tamen, ex sufficientia calami penultimi, non rectè colligitur hæc illatio: Nullus calamus est necessarius: Ergo neque rectè colligitur illatio: Nunquam instans erat determinatum. Si autem illud instans est decretum: quomodo salvas libertatem?

RESPONDEBIS 2. Christum non fuisse mortuum ultimo illo instanti, sed antecedenti quopiam, adeoque instanti non decreto.

CONTRA. Quia hoc est mera divinatio, Christum, non illo instanti decreto, mortuum fuisse; & salvari quidem libertas Christi debet, sed & dispositivitas providentiæ divinæ, si in aliis, ipsa puncta & momenta, certè etiam in Christo, destinantis.

RESPONDEBIS 3. Salvati libertatem, non solum per hoc; sed simul, quia potuit petere dispensationem.

CON-

CONTRA est. Ergo jam ex uno tantum capite salvas libertatem: quia ut illud primum caput teneat, fulcis illud hoc secundo, quod est petere dispensationem.

NON SATISFACIT 2. Quia hic quaeritur principium libertatis, secundum quod fuisse liber Christus quoad substantiam mortis, id verò quod affertur, non salvat libertatem quoad substantiam mortis. Quod ipsum probatur: quia communis sententia, docens in potestate Christi fuisse anticipationem mortis, per ipsum Lugonem, non salvat libertatem, quoad substantiam mortis: hæc autem videntur parum distare.

NON SATISFACIT 3. Quia aliud est præceptum de substantia mortis, & aliud de tempore mortis: Ergo etiam alià est libertas, de substantia mortis, & alià de solo tempore mortis: Ergo sicut præceptum de substantia mortis, non est præceptum de tempore mortis; sic etiam libertas circa tempus mortis, non erit libertas circa substantiam mortis; & tamen Lugo, non nisi ad libertatem circa tempus mortis, attendit.

2. Pars salvanda libertatis Christi, nempe quod potuerit petere dispensationem.

NON SATISFACIT 1. Suppono quòd aliud formaliter sit esse liberum, quoad substantiam præcepti, & aliud, esse liberum, quoad petendam dispensationem à præcepto. Ratio suppositi est imprimis à pari: quia alia est obligatio ad substantiam voti, & alia obligatio ad non petendam dispensationem à voto, ut sciatur: idem etiam servari solet in legibus pœnalibus; aliud enim est mandare exilium Petro, & aliud, obligari etiam amicos, ad non petendum, ut redeat ab exilio. Idem suppositum probatur ratione: quia scilicet alia est materia præcepti, quod est circa mortem, & alia materia præcepti, de non petenda dispensatione: aliud item potest esse motivum hujus, & aliud illius. Hoc supposito

Formatur argumentum. Quia hic quaeritur libertas quoad substantiam præcepti; sed hæc explicatio non salvat libertatem quoad substantiam præcepti; quod ipsum probatur. Salvat non nisi libertatem ad petendam dispensationem in præcepto, quæ libertas alia est libertate in substantia præcepti: Ergo non salvat libertatem quoad substantiam præcepti. Antecedens probatur: quia potest aliquis necessitari ad substantiam præcepti, & non necessitari ad non petendam dispensationem: sicut potest obligari ad substantiam præcepti, & non obligari ad non petendam dispensationem ab obligatione; imò ipse Christus poterat necessitari, & ad substantiam mortis, & ad non petendam dispensationem: Ergo & alia est libertas ad substantiam præcepti, & alia ad non petendam dispensationem.

RESPONDEBIS. Sufficere, quòd mors Christi sit libera denominativè, à voluntate libera Christi, quâ voluit non petere dispensationem.

CONTRA. Quia jam non salvas libertatem, & meritum, quoad substantiam præcepti: talemque illi non nisi laudabilitatem tribuis, qualem habet actus exterior, comparatus ad interiorem, respectu cuius non est nisi denominativè liber, & denominativè meritorius.

Ad ea quæ ex Lugone responderi possent, hæc prævideantur. Quòd præcelleret in Christo aliquid necessitativum physicè, ad moriendum: (nisi id aliunde salvetur,) quia præcessit physica impeccabilitas, faciens ne posset transgredi præceptum: consequenter, (nisi id aliunde salvetur) non habebat physicam potestatem non moriendi.

NON SATISFACIT 2. Si potestas petendæ dispensationis salvaret libertatem in Christo, vel salvaret ratione impetrandæ pro tunc dispensationis, vel ratione impetrandæ pro postea, vel ratione solius potestatis, quæ tunc habebatur, ad petendam dispensationem? nulla ex his ratione salvatur libertas Christi. Quod probatur. 1^{mo}, Non ratione dispensationis pro tunc impetrandæ, cum urget præceptum: quia hæc impetratio est impossibilis; vellet enim contradictoria: ut scilicet dum urget præceptum, & urgeat, ut supponitur; & non urgeat: quia non urget, dum adest dispensatio. 2^{do}, Non ratione dispensationis postea impetrandæ: quia si potestas, quæ tunc habetur ad petendam dispensationem, non salvat libertatem pro præsentem, sed pro futuro: Ergo nec salvat illam dispensationem postea importanda. 3^{io}, No ratione potestatis, quæ tunc habetur ad petendam dispensationem: quia potestas illa non plus infert, quàm posse esse liberum, non autem esse liberum: Ergo pro nunc non salvat libertatem; & sicut posse habere prædeterminationem, non infert prædeterminationem; posse habere calorem, non infert calorem; sic & posse esse liberum, non infert esse liberum; idque ideo: quia posse esse liberum, non infert definitionem libertatis, quæ est habere potestatem ad utrumlibet; sed tantum infert capacitatem ad illam potestatem. Porro quòd posse petere dispensationem, non inferat plus, quàm posse esse liberum: probatur. Supponamus, non petere Christum dispensationem, sed tantum habere potestatem petendæ: potestne agere salva impeccabilitate oppositum, an non potest? si non potest; Ergo non est liber, cum non habeat potestatem, idque proximam, ad utrumlibet. Si autem potest agere, etiam non petita dispensatione, sed cum solo posse petere, idque salva impeccabilitate: Ergo otiosa in illo esset actualis petitio dispensationis; quæ tamen exigitur. Sicut enim, si hoc ipso, quia Bertha & Cajus, consanguinei in tertio gradu,

possunt petere dispensationem, licet possent copulari matrimonio: hoc ipso petere dispensationem otiosum foret; ita & in presenti. Illustrari hoc potest tali instantia. Ponat Deus prædeterminationem necessitatem ad bonum: conjungat illam cum potestate petendæ dispensationis, seu petendi, ut auferatur prædeterminatione necessitans: casu, quo non auferatur, non erit operatio libera, quia profecta à principio necessitante: nec sola præcisè potestas impetrandæ dispensationis, erit illativa libertatis: Ergo idem dicendum in presenti.

ADDO. Cum intelligitur Christus, posse petere dispensationem, pro illo instanti, pro quo instanti, pro quo moritur: vel intelligitur habere jam illam dispensationem, vel non intelligitur habere? Si intelligitur habere: Ergo non ex præcepto est mortuus: Ergo non salvas libertatem salvo præcepto: in quo tamen in presenti laboratur. Si non intelligitur habere dispensationem: Ergo nec intelligitur liberè mori: quod probatur. Quia qui habet potestatem petendæ dispensationis, & pro illo instanti, quo operatur, non intelligitur dispensationem habere, agendo peccat: Ergo & Christus intelligeretur peccare, si non moreretur: Ergo moriens non liberè moritur: nam si non moreretur, peccaret: non autem erat illi liberum peccare.

RESPONDEBIS ex Lugone. Quod illud de prædeterminatione, in presenti non teneat: nam prædeterminatio, tunc quando est, aufert libertatem, ad habendum tunc actum oppositum, aufert etiam indifferentem concursum: nihil horum habet illud præceptum.

CONTRA. Redit argumentum. Non salvatur libertas positâ prædeterminatione, nec salvatur, positâ eadem, collatio indifferentis auxilii: Ergo etiam idem in presenti dicendum erit: neque enim magis physicè determinat prædeterminatio, quam physicè reddat impeccabilem persona divina.

NON SATISFACIT 3. Quia loca Scripturæ, in presenti explicatione, non accipiuntur simpliciter: neque enim possent gratiæ agi Christo rigorosè, quia pro nobis mortuus est: sed quia anticipavit mortem, quia dispensationem pro præcepto non petiit.

DICES I cum Lugo. Pro suâ sententia stare illa verba, Matth. 26. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum.*

RESPONDETUR. Significari hîc non nisi, quod liberè mortuus sit, & voluntariè: sed non significari modum, quo erat liber: consequenter nec significatur quod ejus libertas staret in iure petendæ dispensationis. Quod ea verba non suffragentur intento Lugonis, deduci potest ex Maldonato, qui verba hæc explicat tali phrasi: Quasi diceret, inquit, putasne, si non scivissem decretum esse à Patre meo, ut morerer, non

potuisset me duodecim legiones Angelorum ab eo petere, cumque mihi daturum non fuisset? Quæcunque tandem loci hujus interpretatio ponatur, significabit tantum liberè Christum mortuum, sed non libertate salvabili, per solam petitionem dispensationis.

DICES 2. Explicatio hæc optimè concordat observantiam præcepti cum libertate: non enim potest major libertas excogitari, quam ita acceptare mortem, ut possem non solum tunc, sed nunquam eam acceptare: & quia, licet haberet præceptum, poterat impetrare faciliè abrogationem præcepti.

RESPONDETUR. Per principia Lugonis, non ostensum, quomodo, supposito præcepto, potuerit nunquam acceptare mortem Christus, nisi petendo dispensationem? quæ petitio dispensationis, quod non salvet libertatem, dictum immediatè.

DICES 3. Martyr liberè moritur, quoad substantiam mortis, obligatus cæteroqui, ut in perpetuum non vivat, quia liberè anticipat mortem: ita ergo & Christus, licet fuerit necessitatus ad moriendum, liberè moritur, quia anticipavit moriendi tempus.

RESPONDETUR. Negando, quod martyr quoad substantiam liberè moriatur. Nam non est textus Scripturæ, qui ostendat liberum fuisse illi simpliciter non mori: est autem textus, qui ostendit Oblatum Christum, quia ipse voluit: qui textus loquitur de ipsa substantia, non autem de anticipatione. Sed posito etiam, quod Martyr liberè moriatur quoad substantiam: hoc inde est, quia non est impeditus, quominus possit habere actum: Nolo mori: per quem actum, tota substantialis libertas moriendi salvatur: neque enim aliter potest esse libera alicui mors, libertate in actu interno stante. Quia autem Christus erat impeditus, ne diceret: Nolo mori: ideo adhuc in Christo non salvabitur substantialis libertas moriendi.

DIFFICULTAS IV.

Explicatur Christi Libertas.

Tenendum est quod docuit citatus Lugo, num. 100. non fuisse Christum liberum, quoad substantiam, in præceptis naturalibus servandis: quia ex una parte, Christus erat physicè impeccabilis: ex altera, semel prohibitum, quod non potest non prohiberi, nunquam potest esse bonum, & semel mandatum, quod debet mandari, non potest non esse mandatum, adeoque non observatum à Christo. Solum ergo salvanda est libertas Christi, in illis, quæ poterant illi non mandari, v.g. in subeundâ morte: sit

Pun-